

8091  
4

ASSERTIONES  
DE L. DIFFAMARI  
C. de ingen: manum:

QVAS  
DEI TER OPT.

MAX. AVSPICIO

PRÆSIDE

NOBILISSIMO

QVE VIRO, DOMINO FRI-  
derico Martini. P. V. D. Sacri Caf. Palatij Co-  
mite, Nec non Caf. Maieftatis & reliquorum  
Sereniffimorum Austriae Archiducum Confilia-  
rio, atq; in incluta Friburgensium Academia  
Professore Canonum Primario, & pro  
tempore Decano spectatiffi-  
simo.


Ad diem 22. Iunii, pro laurea in utroque  
jure confequenda hora & loco con-  
fueris defendere conabitur.

IOANNES CONRADVS DORN-  
fperger, Stockachenfis Acronianus.

FRIBURGI BRISGOIE

Excudebat Ioannes Maximilianus Helmslin.  
Anno M. DC. VII.





ADMODVM ILLVSTRIBVS, GENEROSIS, NOBILISSIMIS, STRENVIS AC Magnificis dominis, Domino Carolo, libero Baroni in Wolchenftain & Rodenegg &c. Regiminis Oenipontani Praefidi & Governatori dignissimo. Domino Leomanno Schillero ab Herderen in Grabenstein &c. Cancellario. Domino Ioanni Castnero in Sigmundis iust. r. vicecancellario. Nec non caeteris dominis Sac: Cæs: Maiest. & serenissimorum Archiduc: superior: Austriae prouinciarum Consiliarijs & Regentibus, Dominis dominis suis benignissimis, colendissimis.

**N**on dubito, quin existent nonnulli qui mirabuntur, Admodum Illustres, Generosi, Nobilissimi, Strenui ac Magnifici Domini domini omni subiectione colendissimi, me viros ac dominos rerum plurimarum, earumq; grauissimarum multitudine impeditissimos, pagina tenui, nec pro eorum dignitate condigna negotiorum pondera continente non vereri interpellare: nonnullos quoq; futuros auguror, qui audacia nomine mereprehendendum putabant: ij si suas coniecturas pedant cum mearum rationum momentis, tantum abest, ut admiratione capi possint, ut potius debeant meum consilium sincera mente amplecti. Nam cum videam omnis conditionis homines, in primis ad hoc totis conatibus elaborare, ut potentioribus quibusq;, maxime vero ijs, quorum Iurisdictioni subsunt, innotescant: eandem & ipse mihi, parentum voto, semitam elegi calcadam. Sed cum ambigerem qua potissimum via ad hoc progrederer, nihil prius occurrit, quam ut praesentes conclusiones de l. diffamari c. de ingen. manum. Ob-

ius egre-

ius egregium & latissimum usum, qua sola inter tot tantaq; leges Romanas hucusq; à tanto tempore, quo D. Iustinianus sacratiss. Imperator iuris civilis volumen vltimum conclusit, denuo Imperatoris auctoritate nec semel, sed aliquot in comitijs, publicam declarationem confirmationemq; eximiam sumere meruit, dignaq; iudicata est, eas inquam sub praesidio in primis Dei ter Opt. inde viri Nobilis & Clarissimi Domini Friderici Martini &c, Archiducalis Academiae nostrae Professoris primarij defensas, Admodum Illustribus, Generos. Nobiliss. Stren. ac Magnif. DD. VV. animo subiectissimo dedicarem. Quod grati animi mei quasi homagium, ut magis ex offerentis fide & seruiendi desiderio, quam materia, praestantis quidem, sed pro ingenij tenuitate minus digne pertractata, pondere aestiment atq; suscipiant, me meosq; sibi benigno & gratioso favore commendatos semper habeant, humillimè rogo. Friburgi, 15. Innij, Anno 1607.

Admodum Illustr. Gener. Nobiliss.  
Stren. ac Magnif. DD. VV.

Humill. obseruantiss.

IOANNES CONRADVS  
Dornspurger, LL. Stud.



# IN LEGEM, DIFFAMARI.

C. de ingen: manum:

## THESIS PRIMÆ.

**L**et si conscia mens recti, famæ mendacia ridet, attamen cum vix frequentius, quàm difamandi sit maleficium, crudelis autem ille, qui famam suam negligit, introducta sunt ad refrenandam linguæ petulantiam, inter alia nobilissima duo remedia, vnum legis diffamari, alterum retorsionis quibus malitiosis suggillatoribus obuiare, sibi rebusq; suis quàm optimè prospicere, ac lites præcidere quilibet possit: vt optandum plures legitimum eorum vsum tam notum ac nomina habere.

*Text: hic, & c. nolo. 12. q. 2.*

### II.

Illud generale aduersus omnes diffamantes, hoc speciale contra iniuriâtes. De generali primò, deinde de speciali hac disputatione agemus.

### III.

Cõuenit lex diff. in multis cū l. si cõtendat 28. ff. de fideiuss: nec non cum l. Aurelius 28. §. centum. ff. de liberat. leg: sed in pluribus differre, contra Socinum ibidem ppugnabimus.

### IIII.

Concedit implorationem & officium iudicis; nihil tamen pugnat, etiàm postulationem ex ea condicitiã descendere, quæ tam in ciuilibus, quàm criminalibus causis, tam in possessore, quàm petitore locum sibi vendicat.

*Per l. 1. ff. de cond: ex l. Gail. 2. obs. 9. n. 2. l. si ea 7. C. qui accus: non poss.*

Ex

### V.

Ex ea citatio diffamatione prius non probata, contra manifestam æquitatem decernitur, ideòq; appellatione rescindi posse certum est.

*Ordin. Cam: Imp p. 2. tit. 25. ubi requiritur probatio, Durch schriftlich/oder ander glaublich vrfundt: Gail 2. obs: 10. n. 7. Co: nar: 1. var: res: c. 18. in princ:*

### VI.

Verùm si citato de probatione nõ liqueat, eam ante lapsum termini præfixi cautè petet, quo sic vel iudex à processu desistat, vel si velo leuato sine causæ cognitione processit, citatus de nullitate dicere possit.

### VII.

Datur hæc actio cuilibet, qui de statu suo, vel delicto, vel debito diffamatur, vel famæ, vel bonorum suorum periculum, aut possessionis molestiam verisimiliter timet.

*Gail d. obs: 10. n. 6. argto. ducto ex l. 2. 3. 4. ff. de eo quod met: cau: Con: var: res: 1. c. 18. in pr.*

### VIII.

Hinc licet pupillus tutelæ agere cum tutoribus compelli non possit, ipsi tamen ad impediendam calumniam & cursum vsurarum, post factas legitimas denunciations diffimulatione prolatum, ad iudicium prouocare, suæq; queunt consulere securitati.

*l. fin. C. de vsur. pup.*

### IX.

Similiter si magistratus importunè officium suum exactiõne pænarum exerceant, quin subditi laceßiti hocce illos remedio præuenire, & petere valeant, vt coram superiore de iure suo doceant, haud ambigimus.

A 3

x. Quod

X.

Quod si ex defunctorum bonis quarta pars ad dominum iure consuetudinario pertineat, eius autem occasione dominus optimarum quarumque rerum particulam pro libitu vindicet, tunc ex l. 2. C. quod: & quibus quartus pars, &c. tunc hac lege nostra subditis succurritur.

*Nec enim iniuria levis publicatione rerum familiarium pauperatis detegi vilitatem, alleg. text.*

XI.

Turbatum ab alio in possessione hac lege agere posse manifestum est. Quid autem si quis ita suam possessionem defendat, ut alteri ius possessionis inficietur, an ne tanquam diffamans eadem actione tenebitur? Et nisi notorie sit iniusta, vel talis cui ius commune resistat, crebrius in negantium itum est sententiam.

XII.

Rursum & is, qui puellam habet desponsatam, quam alius sibi fidem dedisse iactat, de hoc lege nostra iuste experitur.

*cum in tua Extr. de Spons.*

XIII.

Officialis à loco officij, studiosus ab Academia recessuri, ut omnibus qui debitum prætendunt, vel prætensuri timeantur, terminus ad agendum statuatur, quo transacto de cætero in patria nullatenus conueniantur, non sine ratione petere possunt.

*Cas. Cont. in hanc legem, c. 3. n. 3.*

XIV.

Finitima est & illa constitutio termini, quo priuilegia principum impugnare est permixtum. Et si enim læsæ maiestatis sit reus, qui principi reluctatur, attamen voluntatem

contro

controuertenti & impugnantem, ad agendum & obijciendum si quid velit, tempus præfiniri potest.

*c. accepimus de fide instrum.*

XV.

Cautelam pro cautione euictionis extorquenda à nonnullis traditam, ut emptor sine controuersia possidens alium submittat, qui litem ei moueat, ex quo remedio legis nostræ cautione potiat uti improbam reprobamus.

*Per ea, qua Couar. d. c. 18. n. 3.*

XVI.

Eadem ratione & illam cautelam, qua actor ad suum forum tracturus reum, coram iudice declarat, sed ad tale quid acturum, ipse igitur iudex edito proclamate citari faciat omnes, qui sua putauerint interesse, quo reum exceptione fori putant excludi, falsam adstruimus.

*Socin. reg. 15. in fin.*

XVII.

Porrigitur remedium nostrum ad omnem diffamantem aliquem ratione status, famæ seu bonorum: etiam eum qui non quidem agendo se d' contradicendo facere potest negotium, nullo obstante fori priuilegio.

*Gail. d. obs. 9. n. 1. in verbo, remoto priuilegio.*

XVIII.

Quin aduersus mulierem ac patrem occasione dotis & bonorum aduentitiorum diffamantes dari, nec tamen mariti filiorum ué iuribus præiudicari statuo.

*Argumento l. 1. & l. ob maritorum 2. C. ne uxor pro mar.*

XIX.

Excommunicato licet non detur, contra ipsam tamen, & bannitum competit; sicut & citatio personalis fieri potest.

test. Neq; eo ipso ad agendum habilitantur, sed potius (nisi ius suum remisisse videri velint) huiusmodi sese nexui eximere, & intra terminum à Iudice statutum agere debent.

*Ratio, ne inducta in odium, redundent in fauorem.*

**XX.**

Porro valet cum excommunicato iudicium, si ad agendum admittatur. Potest autem vel admittente diffamato, iudex eundem à limine iudicij repellere.

*c. exceptionem 12. Extr. de except. c. 1. de except. in 6. Ratio repulsionis est, fauor anime, & utilitas publica.*

**XXI.**

Quibus non aduersatur, quòd se juridicè excommunicatum inficians, idq; probare volens, si cautionem & iuramentum præstet, non tantum audiendus sit, sed prius etiam absolutuendus.

*c. ab excommunicato 41. Extr. de rescr.*

**XXII.**

Nec verò fiscus, tutores, curatores, maritus causa dotis, interpretationem legis, nostræ effugiunt, quià verò sub eadem silentij comminatione præfigitur terminus, & causam agere coguntur.

*Nec enim specialiter exempti reperiuntur.*

**XXIII.**

Vnius diffamatione generale iudicium legis diffamari, contra quoscunque prætendentes ius in eadem re licet non diffamantes fundari, contra nonnullos tutabimur.

*Ipsis enim si ius dabant, non tam obest, quam conducit hoc fieri.*

**XXIV.**

In hac causa iudicem diffamati tanquam Rei, declaramus

compe-

competentem, ideoq; & rusticum ad forum ordinarij sui Episcopum aut Prælatum trahere, ijsq; perpetuum silentium imponi posse defendemus.

*Ratio, quia est attendenda naturalis origo cause potius, quam accidentalis. conar. d. c. 18. n. 4. & 5.*

**XXV.**

Controuersia est, si diffamatus plures habeat iudices, & ab vno citationes contra diffamantem petat, easq; impetret, diffamans autem coram alio sui faciat præsentiam, & querelam seu petitionem suam offerat; Vtrum exceptio pendentis litis à diffamato diffamatori obijci queat? Nos in aientem concludimus partem.

*Ratio, ne in potestate actoris sit, eludere legis diffamari privilegium, & prætorum contemnere.*

**XXVI.**

A libello processus initium sumit, ex quo vtrum citatio sit decernenda cognoscere, & futuram formare sententiam iudex potest. Quod si reus contumax fuerit, stylo Camerali summariter reproducenda est prior pro impositione silentij, & expensarum refusione facta petitio.

*l. profernandum. S. & si quidem. c. de ind. Gail. d. obs. 12. Schvvar. in process. Cam. 2. c. 23.*

**XXVII.**

Est verò citatio vsq; ad eò necessaria, vt eius defectum ipse Imperator contra subditum supplere non possit; in hoc tamen iudicio non vt aliàs arctatoria, sed monitoria duntaxat eaq; conditionalis, & secundo ante sententiam interpellato tempore iteranda: vt trina potius quorundam, quam vna & simplex aliorum opinione sit eligenda.

*Argumen. c. ex tua, Extr. de cler. non resid. conar. d. c. 18. n. 2. & nouit. Extr. de iud. Socin. reg. 327. Gail. d. c. 12. n. 4. & d. obs. 9. n. 6.*

B

XXVII. Cita-

XXIX.

Citatio debet esse personalis, ideoq; eas quæ per edictū aut proclama fiūt, vt irregulares, & honestorem famam sugillantes aperte detestamur, & contra iudicem prædictas citationes absq; magna causa tribuentem iniuriarum actionem concedimus.

XXIX.

Si tamen ex causis admittuntur, fieri debent multis & cōsuetis locis, quod verisimiliter ad citati notitiam peruenire possint. Sed quanto tempore programma maneat affixum iudicis est arbitrari.

XXX.

Admittuntur autem plerumq; vel ex consuetudine, vel si lateat aut nesciatur citandus, & vbicunq; plures admittuntur ad agendum aut contradicendum.

XXXI.

Quibus casibus citationi præcisè parendum est, si nō fiat ad locum pestiferum, aut prædonum grassationibus infestū, nā tūc nec præstito saluo cōducto venire tenebitur diffamās

*Debet enim vita quisq; suæ prospicere, & dici possit cōductum non esse omnibus notificatum.*

XXXII.

Terminus pro arbitrio diffamanti per iudicem assignatus, per partem diffamatam absq; auctoritate & iussu iudicis, nō autem per hunc absq; illius consensu prorogari potest; liberumque est citato infra constitutum parere terminum, dummodo de eo reddat aduersarium certiozem.

*Ratio colligitur ex d.l. properandum argumen. C. ex causis, Extr. de off. del.*

XXXIII.

Lapsus termini non officit iusto impedimento præpedito, restituetur enim pro rata impedimenti, probatione (quæ qualem admittat discreto iudici reliquimus) prius facta, quod exquisita cura illud remouere non potuerit.

*c. fin. qui matrim. accus. poss. l. ab commissis 21. c. ad l. Iul. de adult.*  
Iustum

XXXIV.

Iustum est impedimentum paupertas, qua quis oppressus litis impensas facere nequit: nam elapso termino eum audiendum, nec appellationis fatalia ipsi currere notum est.

*Per text. in l. si procuratorem, § si ignorantes ff. mand.*

XXXV.

Si iudex anno plus temporis statuerit, vel citatus se nolle comparere responderit, vtrumque vim monitionis iterata habebit.

XXXVI.

Citationi factæ si diffamans contumaciter non pareat, instans reus à libello diffamatorio absoluitur, vel si vltroneus probationem possessionis suæ fecerit, dominus declarandus est.

*Pacian. de probat. lib. 1. c. 69. per l. sed & si possessori ff. de iur. Gail. d. obs. 12. n. 6.*

XXXVII.

Interim quin auctori comparenti, & petitionem suam solenniter & consueto iudicij strepitu deducenti, juxta communes juris regulas fauendum sit, nemo refragabitur. Nam eo casu prior ille diffamati libellus in vim simplicis citationis resoluitur.

*Gail. d. obs. 12. n. 3. Cont. 3. n. 115. & c. 5. n. 41.*

XXXVIII.

Quid si iudex citationi solitam illam inferat comminationem, nisi termino præfixo agat, quod de cætero non sit audiendus: vel, Aliàs elapso termino ex nunc prout ex tunc impono silentium: An admittendus si post eundem, antè tamen impositionem silentij compareat acturus? Admittendus equidem, re adhuc integra.

*l. mancipiorum 6. ff. de opt. leg. Blar. c. 2. in princ. tr. in l. dif. famari.*

XXXIX.

Tunc autem res amplius integra non erit, si testium interitu probatio possessionis citantem deficiat: vel cum in ma-

trimonio de presenti contracto, vel elapso termino per spōsum sumptuosa præparamenta facta, vel etiam banna consuetasunt in Ecclesia promulgata.

XL.

Amplius res integra non est, si iudex sententia lata perpetuum imposuit silentium. Quamuis post impositionem ex superueniente causa noua diffamatori super iure asserto agere permittitur.

XLI.

Quod si cui sit assignatus terminus ad producendum instrumenta, & infra illum producantur exempla, sed demum post eundem originalia, nunquid dicetur instrumentorum productio intra terminum facta? A ientibus suffragamur.

*Argumento l. si donata, S. si sponsus ff. de don. ind. vir. & uxor.*

XLII.

Si diffamanti ad faciendam fidem super asserto iure suo assignatus sit terminus, intra quem ille quidem docere incipiat, edocere tamen haud queat, an propterea à persecutione iuris sui postmodum exclusus erit? Nefas, iudicem a tori limites tam curtos præscribere ducimus.

XLIII.

Tertius pro suo interesse post lapsum terminum, & publicatis attestationibus utiliter comparet.

*Argumento l. si pro lutorio ff. de appell.*

XLIV.

Litis contestatione in hoc processu nulla opus est, & si culpatus de læsa citatis fama exceptiones objiciat, quæ principalem respiciant causam, eas si pendentiã litis, vel continentiam non diuidendam concernant admittimus, alias exceptiones in modum actionis proponendas asserimus.

*Gail. d. obs. 12. n. 2.*

XLV.

Sententia qua iudicium legis diffamari sopitur, neq; est decre-

retum, neq; definitiua, sed huius vim habens interlocutoria.

XLVI.

Ab hac appellationem vt non permittimus, ita si quod requisitorum prætermisum fuerit vel si ob speciale priuilegium, vel quia causa commissa est appellatione remota appellari non potest, eam non denegamus; & ita læsis ad exceptionem nullitatis, vel superioris recursum viam aperimus.

*C. inter ceteras, Extr. de sent. & re iud. l. si expressim 19. ff. de appell. l. 2. C. quando prouoc. non est nec: Nec enim iudici data est licentia contra manifestam aequitatem deuorandi rem subditorum.*

XLVII.

Causa diffamationis per sententiam diffinita iudex quidem officio suo functus, & hæc sententia suam secum executionem afferre dicitur, quia tamen iurisdictio sine modica coercitione nulla est, si decretis à iudice executorialibus non fiat paritio, proterunt pro delicti qualitate pecuniariæ primò, inde carceris, proscriptionis & similes pænæ irrogari.

*l. ult. ff. de off. eius cui mand. est iuris d. l. 1. ff. si quis ius dic. non obt.*

XLIX.

Illam hic, sicut in omnibus factis negatiuis est consuetas executio, vt cui silentium impositum, is de non contraveniendo, iuramento si aliter non possit, caueat. Id si recuset aduersario in litem jurare permittitur.

*l. harum 7. ff. si seruit. vend.*

XLIX.

Iudex sub leniori primùm, vt oportet, pæna, postmodum verò non parenti sub grauiori mandas executionem, à priori discessisse iudicatur.

L.

Et quidem hac via suam iudex à contemptu vindicat auctoritatem, Sed quia contumacia victi, etiam vincens iadi-

tur, huic quoq; interesse vt iuramento probet, denegandum non est.

L I.

Si territorij diuersitas executionem remoretur, iudex causæ brachium indicis citati pro executione faciendâ, vel Episcopum, vt bannitum ab Imperio censura quoq; feriat Ecclesiastica implorare potest.

*l. Episcopale C. de Episc. au d. l. à diuo Pio §. 1. ff. de rei iud. Ratio re sententia, vnius Iurisdictionis reddatur elusoria, contra l. si prator. 75. ff. de iud.*

L II.

Quibus casibus contra sententiam, iisdem aduersus executionem, ad quam non attenda nullitatis exceptione proceditur, recipienda venit appellatio.

*Blar. II. n. 12.*

L III.

Hactenus de generali remedio legis diffamari, quo fama, possessio & iura in vniuersum omnia contra diffamâtes defenduntur. Ad retorsionem quod attinet est quidem legibus vetitum iniuriam iniuria propulsare, sedq; propria auctoritate vlcisci, cum nō relatione sed innocentia crimina purgentur.

*l. is qui ff. de publ. iud.*

L IV.

Imò quod nec iudex affectum iniuria ad se vindicandum, aut iniuriantem accusandum cogere potest, eadem iura statuunt.

*Mynsing. decad. 6. resp. 59. n. 27. 29.*

L V.

Nihilominus læsus retorsionis auxilio vti potest, cum id omni iure diuino, naturali & humano, vsq; adeò quod ipsi statuto auferri nequeat, sit tributum.

L VI.

Vnde conficitur; quod retorsionis beneficium non sit remedium extraordinarium, sed ordinarium ab ipso iure naturæ

naturæ tributum, eum defensionis sit species.

L VII.

Debet autem retorsio fieri vel in continenti, verbis ad iniuriam retundendam accommodatis, v. g. Si homicida dicatur, dicere potest, mentiris vt homicida, vt fur, vt latro.

*Myns. 5. obs. 17. Iul. Clar. §. iniuria n. 64.*

L I X.

Quod si verbis ad iniuriam refellendam aptis retorsio nō fiat, puta, si adulter nominatus, dicat, tu es latro, iniuriarum agere vtriq; permittitur.

*Gail. 2. obs. 100. n. 9. Myns. d. obs. 17.*

L I X.

Vel ex interuallo fiet per Notarios publicos, qui super illas & relatis iniurijs instrumentum conficiant: quod ad annum vsq; vtilem permitti propalam est.

*Gail. 2. obs. 105. Giph. Inst. de iniur. n. 23.*

Licita est retorsio etiam contra eum, qui honoris præfatione præmissa (v. g. Mentiris, vel, es fur saluo honore tuo) verba iniuriosa profundit: idq; contra eum extendi potest, qui dolosè dicit, Tu bonus es homo.

*Couar. 1. var. res. c. 11. n. 1. Iul. Clar. remissuè §. iniuria n. 21.*

L X I.

Vt retorsionem iuris esse asserimus ita retorsionis retorsionem à foro procul exulare iubemus.

FINIS.

